

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Sebastiani Castellionis Sacrorvm Dialogorum Libri  
Qvatvor, Qvos Postremo Ipse Recognovit: Argvmenta  
Singvlis Dialogis Praeposvit, Et Sententias Svbiecit ...**

**Châteillon, Sébastien**

**Francofurti, 1761**

**VD18 12886300**

Phoebas.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18303**

## SENTENTIA.

*Et justi juste, & iniusti injuste facere perseverant. Calumniatores tametsi utrisque nocent, tamen revera perniciosiores sunt iis, qui eorum calumniis credunt, quam, quos calumniantur.*

PHOEBAS. I Reg. 28.

## ARGUMENTVM.

Phœbus Saulo Samuelem elicit ab inferis, ab eo Saulus futurum exitium suum cognoscit.

*Saulus, Phœbas, Samuel.*

Phœbas, redde mihi oraculum Phœbi, & <sup>a)</sup> excita, quem dicam tibi. *P.* At tu scis, ut exterminaverit Saulus ex hac terra Phœbadas & divinos, cur me in tantum capitis periculum adducere vis? *Saul.* Jovam Deum immortalem juro, hanc tibi rem fraudi non futuram. *P.* Ecquem vis tibi excitem? *S.* Samuelem. *P.* Fiet; heu me miseram, disperii, tu Saulus es, me indigne decepisti. *S.* Ne formida. Sed quid vides? *P.* Video Augustam quandam, & plane divinam personam e terra ascendentem. *S.* Qua est specie? *P.* Vir est senex, indutus pallium. *S.* Samuel est, præbeo ei honorem. *Sam.* Quamobrem me eliciendo inquietas, Saule? *S.* Magnis premor angustiis. Palæstini me bello petunt, Deus adversatur, nec jam respondet, neque per vates, neque per somnia: hanc ob causam accivi, te, ut

G 4

me

<sup>a)</sup> Excita e mortuis:

me doceas, quid mihi sit faciendum. *Sam.* b) Cum ergo me consulis, si ipse Jova tibi non modo non favet, sed etiam adversatur? Faciet ille quidem, quod eloquutus est voce mea: tibi que extorquet regnum de manu, quod tradet alteri, videlicet Davidi; quia non obtemperasti ei in ulciscendis Amalechitis, quibus infensus erat, eam ob rem ita sine dubio te accipiet. Quin etiam addicit tecum Israelitas Palæstinas; & cras tu tuique liberi eritis una mecum: castra etiam Israelitarum tradet Palæstinis. *S. Eheu.* *P. Perii misera,* corruit. *Saule!* *Saule!* obsecro te, obsequere mihi, cape cibum. Tu scis, ut sum tibi morigerata, & caput meum summo periculo objecerim, ut exequerer tua jussa. Agedum, præbete mihi facilem vicissim, & vescere cibo, quem tibi apponam, ut recreatis viribus aggrediaris iter. *S. Non edam.* *P. Quare?* imo vero edes. *P. Jus oramus,* *S. Quando tantopere urgetis, fiat.* *P. Agedum!* surge, & recumbe in hoc lectulo, c) dum ego vobis mactō vitulum altilem, quem habeo domi: subigoque farinam, ex qua conficiam panes subcinericios.

## SENTENTIA.

*Qui Deum deseruerunt, tandem deseruntur a Deo. Deserti a Deo confugiunt ad eum, a quo ante abhorruerant, diabolum, a quo nihil nec cognoscunt, nec consequuntur, nisi suum exitum. Et sane æquum est, ut qui bonum fugit, incidat in malum.*

ACHIS.

- b) Qui viventi Samueli obsequi noluit mortuum frustra consulit: & quem Deus deseruit, is ab homine nequicquam præsidium petit.  
c) Magna est ut in venefica, humanitas.

ACHIS. I Reg. 29.

ARGUMENTVM.

Achis Gethæ Rex, admonitu procerum suorum, Davidem, (qui ad ipsum confugerat) ab exercitu suo dimittit.

*Proceres Palæstini, Achis Rex, David.*

Quinam sunt Hebræi isti, quos habes in nostro exercitu? *A.* David est, Sauli Israelitarum regis servus, qui mecum egit per hosce dies, vel potius annos, in quo nihil adhuc reprehensione dignum deprehendi, ex quo ad nos aufugit. *P.* Remitte hominem in eam provinciam, cui tu eum præfecisti: ne, si nobiscum descenderit in certamen, in nos se convertat. <sup>a)</sup> Nam qua tandem re melius possit cum suo domino reconciliari, quam horum hominum capitibus? Nonne hic est ille David, carmine illo in choreis celebratus? Saulus mille, decem concidit millia David. *A.* David, Jovam ego immortalem testor, te mihi, tuamque castrensem consuetudinem probari: neque enim ullum adhuc in te vitium, posteaquam ad me primum te contulisti, deprehendi. Sed optimatibus non places. Quamobrem discede cum bona pace, ne Palæstinos proceres offendas. *D.* Quid vero ego commisi? aut quid in me adhuc deprehendisti, ex quo primum in tuum conspectum veni, <sup>b)</sup> ut in bellum contra hostes tuos non proficiscar? *A.* Scio

G 5

equi-

a) Etiam barbaris non deest prudentia.

b) Simulatio.